

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epigrammata Philippi Melanthonis selectiora

Melanchthon, Philipp

Francoforti ad Moenum, 1583

VD16 M 3181

Doxologica, seu preces & hymni

[urn:nbn:de:bsz:31-288126](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-288126)

1.
DOXOLOGICA,
SEV PRECES ET
HYMNI.

12.
11

PRECATIONES AD FILIVM
Dei, pro vera Dei agnitione & dono
Spiritus sancti.

Ex historia creationis: Gen. 1. Spiritus Do-
mini FOVEBAT aquas.



Spiritus ut Domini nascentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipsa Dei;
Sic foueat cætus, qui Christi oracula discunt,
Accendatq; igni pectora nostra suo.

“
“
“
“

A

ALIA

VT SPIRITVS SANCTVS SIT
*efficax in nobis voce Euangelij, & motus ta-
 les accendat, qualis ipse est, id est, le-
 gi diuina congruentes.*

Ex promissione Dei: Zach. 12. Effundam su-
 per domum Dauid Spiritum GRATIÆ &
 PRECVM.



„E *ffundam FLATVM, dicis, Dauidis in agmen,
 „Christe, EVANGELII qui solet esse comes.
 „Gratia magna Dei docili vt notissima fiat,
 „Vtq; prece accedat non dubitante Deum.
 „Mentibus & petijisse inbes hoc munus anhelis,
 „Teq; audis iuras hoc dare velle bonum.*

Ergo

DOXOLOGICA.

Ergo voce tua confisi Christe precamur,

AVRA Evangelij sit comes ista tui.

Luceat in nobis, & iusta pectora nostra

Assimilet legi, quæ data voce Dei est.

Te verè æternūq; Patrem ut cognoscere possint,

Et motus habeant, quos tua verba docent.

Hæc nos FLAMMA tibi iungat, summoq; parenti:

Ipse sit in nobis iam nova vita Deus.

ALIA.

Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo
læticiæ præ consortibus tuis. Psal. 45.

O Vncte æterni lato Spiramine Patris;

Nate Dei socios vngito Christe tuos.

ALIA.

Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spi-
ritum sanctum ijs, qui ab eo petierint? Luc. 11.

Vox tua Gnate Dei est, accendere velle parentem

Æternum, Flatu pectora nostra tuo:

Promissumq; iubes munus votisq; fideq;

Poscat ut hic cœtus, qui tua iussa colit.

Hac igitur freti, Christe optime, rocerogamus,

Ignis ut inflammet pectora nostra tuus.

ALIA.

VT GVBERNET IPSE MEN-
tes & studia docentium & discen-
tium:

A 2

Scri-

4
EPIGRAMMATA

Scripta à Philippo, paucis diebus ante mortem, nec absoluta.



*Æterno genitore nate CHRISTE,
Orator Patris ex sinu verendi
Vocem Euangelij ferens suauem:
Qua credentibus exhibes potenter
Vitam, iusticiamq; sempiternam:
Et qui sanguine nos tuo redemptos,
Exaudis, reputas, facisq; iustos,
Ostendisq; p̃ys tuum parentem:
Nostras CHRISTE precor doceto mentes,
Ac in pectora gratia arrhabonem
Nostra effundito SPIRITVM, mouentem
Casta incendia, & inuocationem:
Fac pars agminis ut tui per omne
Æuum simus, alacriterq; laudes*

Æter-

*Æterni Patris & tuas sonemus,
Claro contuitu DEI fruantes.*

**PRO CONSERVATIONE EC-
clesiæ & puritatis doctrinæ cælestis,
precatiuncula.**

Ex historia trium adolescentum, sociorum
Danielis, quos Nabogdonosor in Caminum
ardentē ligatos coniecit: quòd Statuam au-
ream à se propositam adorare nollent. Sed Fi-
lius Dei in medijs flammis apparens, mirabi-
liter hos ab incendio tutos illæfosq; conser-
uauit: Rege stupente, & ad veri Dei veneratio-
nem conuerso. Dan. 3.



T*Emaneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat:*

A 3

Tres

“
“

- „ *Tres velut in flamma testes Babylonide seruas,*
 „ *Rex ubi presentem te videt esse Deum.*

A L I A.

Ex verbis Discipulorum duorum
 euntium Emaus. Lucae 24.

- „ *Vespera iam venit nobiscum Christe maneto,*
 „ *Extingui Lucem nec patiare tuam.*

A L I A.

*Pro incremento Fidei, facile la-
 bascentis.*

Credo Domine : opem fer incredulitati
 meæ. Mar. 9. Qualis & perhibetur fuisse pre-
 catio vltima Calparis Crucigeri senioris : In-
 uoco te fili Dei, fide quamlibet languida, fide
 tamen.

- „ *Sed tamen hæc fidei modica est scintillula, fiat*
 „ *Auxilio petimus fortior illa tuo.*
 „ *Ac veluti lucis radios Sol spergit in orbem;*
 „ *Tu Sol iusticiæ nos rege luce tua.*
 „ *Et non extingui patiare in pectore nostro,*
 „ *Noticiamq; tui, noticiamq; Patris.*
 „ *Hospitiumq; tuæ doctrine protege Christe,*
 „ *Emanuelq; tuo semper adesto gregi.*

I O H. I O. M A I O R.

- „ *Parua fides quoque grata Deo est, dum conscia verbi*
 „ *Sanguine dependet, Maxime Christe, tuo.*

P R O

DOXOLOGICA.
PRO REMISSIONE
peccatorum.

Expiabis me Hyssopo, & super niuem
dealbabor. Psal. 51.

EN mea coccineum referunt delicta ruborem:
Horrida sum crudo massa cruore madens.
Ablue me folijs Hyssopi aspergine uina,
Tunc ego candidior vel niue totus ero.

IOH. STIG.

ALIA.

Exemplo matris Cananæ. Mat. 15.

Quantus erat dolor in Cananæa matre puella,
Cuius mens furijs exagitata fuit:
In tanto nunc est Ecclesia mæsta dolore,
Doctorem furias cum videt atque ducum.
Sed tu Gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla venit nobis, te nisi dante, salus.
Tu procul à nobis sauos depelle furores,
Et sanes verbo pectora nostra tuo.
Quamuis ira tui nos urget iusta parentis,
Atque sumus turpes nos reat urba, canes:
Attamen ut timide sub mensa captat herili,
Esuriens modicas parua catella dapes:
Sic cum dira fames nostros absumserit artus,
A mensa petimus pabula Christe tua.
Gnate Dei generis nostri massam induis, ut nos
Viuifica infirmos hæc tua massa gerat.

IOH.

8
EPIGRAMMATA
IOH. STIG.

*Exemplum fidei probat in Cananæide Christus:
I nunc, & dubitans quare placere Deo.*

ALIA.

*VT DILECTIO DEI IN
nobis permaneat.*

Ex ardentissima oratione filij Dei ad æternum patrem ante agonem: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis. Ioh. 17.

- „ **N**Ect u gnate Dei maius meliusve rogare
„ AEternum poteras, optime Christe patrem:
„ Quam quali socij semper te diligit ipse,
„ Diligat & simili nos ut amore pater.
„ Nec tribui nobis hoc possit munere maius,
„ Quid nati posset maius amore dari?
Non apud AEternum facis irrita vota parentem,
Affirmat iurans hoc Pater ipse tibi.
Erga nos etiam es patrij tu pignus amoris,
Iussus pro nobis debita luctu dare.
Nos igitur quanquam sumus agra & sordida massa,
Credimus ista tamen munera summa dari.
Confissq; tua prece Christe, pericula nostra
A summo petimus cuncta parente regi.
„ Tuq; regas seruesq; infirmos numine, qui vis
„ In nostris uiuens mentibus esse &c.

ALIA

ALIA.

VT VNVM SIMVS IN

CHRISTO. Ioh. 17.

*In tristi sudans quod poscit agone cruorem
 Aeterno Christus de genitore satus,
 Semper concordēs, unumq; ut simus in ipso:
 Cum Christo nostra hoc vota animiq; petant.*

ALIA.

AD TRINITATEM,

Ex M. Lutheri carmine Germanico:

Erhalt uns H & X bey deinem Wort.



Serua DEVS Verbum tuum,
 Et frange vires hostium,
 Qui Iesum Filium suo
 Turbare conantur throno.

B

Osten-

Ostende nunc potentiam

O Christe Rex regum tuam;

Defende paruulum gregem,

Qui te fatetur principem.

Viuisicator spiritus

Concordiam da cordibus,

Ades periclitantibus,

Cum morte conflictantibus.

IOH. STIG.

ALIA.

Adfere nos, verbumq; tuum Deus optime serua,

Et rabiem Turcæ, Pontificumq; preme.

Qui tecum equali regnantem fœdere Christum,

Conantur patrio præcipitare throno.

Da pacem, defende tuos: tibi semper ut omnis

Posteritas laudet hic & vbiq; canat.

IOH. STIG.

PRO HOSPITIIS ECCLE- sia & Scholarum.

F*Lecte precor nobis iratum Christe parentem,*

Qui vis pro nobis supplicis esse loco.

Et quam sparsisti prolatam e mente parentis

Deleri vocem ne patiare tuam.

» *Doctrinæq; tuæ studium, paruamq; Sareptam*

» *Doctrina hospitium protege quæso tua.*

» *Et placidam clemens nobis concedito pacem,*

» *Tuq; ducum mentes tu populiq; regas.*

ALIA.



ALIA.

*At tu summe Deus surgas terramq; gubernes,
Absq; tuo Regnum numine stare nequit.*

ALIA.

*Conserua Regni formamq; statumq; decorum,
Praesice concordēs ipse piosq; Duces.*

PRO GVBERNATIONE ET
*incolumitate nauiculae Christi, quae est
Ecclesia ipsius.*

GREG. NAZIANZ.

Ζητῶ Νῶε κίβωτον, ὅπως μέρος αἰνόν ἀλύξω.

O *Ceani rapidis ut ventis unda cietur:
Semper habent varias sic quoq; regna vices.*

B 2

Vlti-



*Vltima sed motus grauiores sentiet atas,
Impia Turcorum qua modò regna videt.
Christe tua hos inter fluctus quassabitur Argo,
Attamen hanc rabies mergere nulla potest.
Nos prolata tuo qui dogmata discimus ore,
In cymba serues optime Christe, tua.*

ALIA.

*Oppressit reducem, quam rexit, Iäsona nauis,
Qua tulit auricomis velleris acer opes.
Non te Christe tamen, quam tu regis, opprimet Argo,
Sed victor seruas hanc etiam incolumem.
Nos ergo in portum deducas, atque gubernes,
Deleri nautas nec patiare tuos.*

ALIA.

*Ex historia Domini in nauigio dormientis. Matth. 8.
Nate Dei fluctus pelagi compeſce furentes,
Irruit in cymbam multa procella tuam.*

Te qua-

Te quasi sopito iam mergi penè videtur:
 Sed vigila, & paruum magne tuere gregem.
 Vt tibi pertexat gratis praconia verbis,
 Et tua perpetua nomina laude canat.
 Aura tonet, sonet vnda, minis fremat orbis & orcus:
 Tu tamen insertos nos tibi Christe teges,
 IOH. IOACH. M.

MEDITATIO ADMIRANDI
 beneficij, Incarnationis Filij Dei, domini et
 Saluatoris nostri Iesu Christi.

Nil sum, nulla miser novi solatia, massam
 Humanam nisi quod tu quoque Christe geris.
 Tu me sustenta fragilem, tu Christe gubernas,
 Fac ut sim massa furculus ipsetuæ.
 Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, vno
 Hoc est, ne dubites, fœdere parta salus.

PARAPHRASIS IOH. STIG.

Sum miser, & non ulla dolens solatia noui,
 Sumq; adeò culpa nil nisi massa mea.
 At tu solus habes, mihi quæ solatia præstes,
 Qui datus es massa portio Christe, mea.
 Mors tua Christe mihi vita est, victoria regnum:
 Labe mea morior, sanguine vino tuo.
 Tu mihi rex pariter, pariter mihi Christe Sacerdos,
 Pro me namque volens munus utrumque geris.
 Destruis omnipotens veteris scelus omne Draconis,
 A quo omnis nostri manat origo mali.

Aratumq; tua placas pietate parentem,
 Quatuus in nobis crimina delet amor.
 Ergo animam seruato meam, quam morte redempta,
 Et vita gaudes germen habere tua.
 » Vno tibi, moriarq; tibi, tibi deniq; viuat,
 » Te quia iustifica, Christe, prebendo fide.

ALIA.

» Iunxisti vt massam tibi nostram Christe Redemptor:
 » AETerno sic nos fœdere iunge tibi.

ALIA.

» Cùm nostram indueris mirando fœdere massam;
 » Gnate Dei semper nos tua membra regas.

ALIA.

Ex verbis Davidis: 1. Paralip. 17. Aspexi
 me in forma hominis, qui es in excelsis
 IEHOVA DEVS.

In forma quod nos HOMINIS placidissime Christe
 Aspicias, & tamen es conditor ipse DEVS:
 Et nostram formam miseratus crimina deles,
 Et vitæ æternæ gaudia vera dabis:
 Hæc grati canimus tua dona, simulq; precamur,
 Tu nos vt doceas, luce regasq; tua.

SILOH.

DE APPELLATIONE SILOH,
 quam Iacob tribuit nascituro olim Christo:
 Epigrammata duo longè dul-
 cissima.

Iacob

Iacob Patriarcha morti vicinus, ordine Filij benedicit, & futura prædicit: Disertè verò Regnum penes tribum IUDAM futurum affirmat, donec venerit S I L O H, id est, is qui mittendus est, seu *χρῆστον αὐτῆς*, id est, foetus seu filius eius, s. virginis matris. Gen. 49.



G Nate Dei effigies æterni vincta parentis,
 Æterna Verbum mente satumq; patris:
 Indutus nostra qui carne in virginis aluo,
 Humanum accedis, maxime Christe, genus.
 Te pius Isacides compellat nomine S I L O H,
 Quod tenera es foetus virginis, ipse tener.
 Ac velut inuoluens foetum membrana recentem
 Dum rude sub matris pectore turget onus,
 Mollis, & ad motus non est durabilis ullos,
 Pendet & à corylis squalida tota nouis:

Sic in-

- I. Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
 In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
 Indueras etenim mirando fœdere carnem,
 Huic nostra similem supplicij, ream.
- II. Sed verè fragilis nos ipsi & sordida pellis,
 „ Materna chorion labe reumq, sumus.
 „ Attamen hoc viuet chorion quando induis ipse,
 „ Voce tua sanans atq, cruore lauans.
 Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
 Cum discunt vocem pectora nostra Dei.
 Ac cœtus igitur discendum Christe tueris,
 Vt chorion verè sit schola casta tuum.
 Ah tua tuta precor seruetur fascia S I L O H,
 Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

ALTERVM.

- Magni consilij qui dicitur Angelus esse,
 AEterno natus de genitore xpy:
 Edidit Isacida leta hæc oracula voce,
 Cum fuit exilij duxq, comesq, seni:
 Non prius amittet sceptrum Iudæa propago,
 Quàm veniet S I L O H missus ab arce poli.
 Perpetua reddet vobis qui gaudia vite,
 Crimina cum proprio vestra cruore luet.
 Cur tamen est dictus Seruator nomine S I L O H?
- I. Quid de virgineo nomine fœtus erit.
 Et fragili similis chorio, pelliq, cruenta,
 In cruce cum tabo vulnera facta fluunt.
 Talis at est factus pro nobis fascia Christus,
 Quamquam iusticia fons sine labe manet.

DOXOLOGICA.

17

II.

cc

cc

cc

Nos homines autem verè tam sordida massa,
 Nos lacerum chorion, putre reumq; sumus.
 Sed tu gnate Dei nostras etiam indue pelles,
 Et vitam miseris infere fasciis.
 Nec tamen hanc reddis, nisi qui tua dogmata discunt:
 Tantum hanc ad vitam vis Deus esse viam.
 Ergo precor studia hæc tu semper dirige Christe,
 Aeterni Siloh vera propago Patris.

EGO SVM QVI SVM,

Exodi 3.



Tum Mose ardebat scitari, & nomina tanti
 Querere ductoris, populisq; exacta referre,
 Omne ab hoc firmans animum, & sic ore precatur:
 O quem te memorem, qualisve ab origine ducam
 Sancte Deum, nam te non spernant sidera regem,
 Nec tibi vota neget terrarum maximus orbis,

C

Face

- Fare age quis venias: Quarenti talibus ille*
 » *Respondit dictis: ego SVM quem cernis, ERO QVE.*
SVM patris aeterni proles, antiqua dierum,
AEqualis patri consors in numine & aeo,
Vino equidem, vitamq. aeterna in secula ducō,
Principium & finis: Sed casta virginis olim
Semen ERO, nomenq. meum de nomine facti
Dicetur Siloh, venerandum in secula nomen.
 » *Nunc IEHOVA vocor; sed cum labentibus annis*
 » *Natus ero, nomen ducam saluator Iesus;*
 » *Cum nomen venient Isch & Iehoua sub vnum.*
Ille ego sum, vestris qui patribus ora resolui
Fatidico sermone Deus, fat aliq. arua
Pollicitus, seris habitanda nepotibus arua,
Quos ego morte obita viuos nunc athere in alto
Asservo, & quondam manifesto in corpore sistam.

IOH. IOACH. M.

PRECATIO VAGIENTIS Ecclesie.

A *Eterni de mente patris SAPIENTIA nata,*
In qua mundi operum fulsit idea noui:
Et quæ distinxit pulcerrima corpora rerum,
Et iussit formas singula habere suas:
Hac eadem in paruis vagit sapientia cunis,
Natura nostra membra tenella gerens.
Sic quanquam infundit se nostra in pectora, nobis
Nondum se totam cernere posse dedit.
Vt tamen in nobis sint tantæ exordia lucis,
Tanquam vagitus dogmata prima sonat.

Non

Non quamquam infirmos spernis, si debita credant

Te λήττα pro nobis, Christe, dedisse patri.

Ah precor infirmis adsis ut mentibus, atq;

Doctrinae foneas semina sparsa tua.

Dum tua se totam pandet sapientia nobis,

Atq; patrem clara luce videre dabit.

Quando mortali soluentur carcere mentes,

Et duce te, cæli culmina celsa petent.

Christe tuo exulibus patriam tu sanguine reddis,

Nulla venit nobis, te nisi dante, salus.

PRECATIO IN PERICVLIS

*extremis & humana ope inex-
tricabilibus.*

Cum bello à ferocissima natione Moabit-
rum & Ammonitarum premeretur Iudæa: iam-
que certa immineret vastitas: pius rex Iosaphat
ab armis ad preces totum se conuertit. Et hac
quidem ille fiducia, hostibus, ex mutua lanie-
na, interitum: sibi totiq; populo miraculosam
liberationem & spolia opima impetrauit. 2. Pa-
ral. 20. Est autem hæc particula precationis
Iosaphat:

CVM NESCI MVSV QVID AGENDVM SIT, OCY-
LI NOSTRI AD TE DEVS ATTOLLVNTVR.

IN tenebris nostræ & densa caligine mentis,

Cum nihil est toto pectore consilij:

Turbati erigimus Deus, ad te lumina cordis,

Nostra tuamq; fides solius orat opem.

C 2

Ture-



» Tu rege consilijs actus, Pater optime, nostros,
» Nostrium opus ut laudi seruiat omne tue.

IOACH. CAMER.

ALITER.

» Dum mens nostra graui caligine mersa laborat,
» Nec bene quod deceat, pectora caeca vident:
» Ad te oculos fixos, fida cum mente leuamus,
» Tu gemitus audi votaq, nostra Deus.
» Tu rege conatus, & robora mentibus adde,
» Ut tibi, quod faciunt, omne probetur opus.

IOH. STIG.

ALIA.

Ex psalmo 115. Tuus ego sum:
saluum me fac.

Nos tua cura sumus, rerum pater optime, atq,
Nos custode vno, fidimus atq, duce.

Cate-

*Cetera deficiunt nobis solatia: Quare
Nos tua defendat dextera, queso, pater.*

ALIA.

*Non nati casu, non casu vivimus ipsi:
Condidit, & factos servat alitq. Deus.*

ALIA.

Συμβελὼν ἀγαθῶν, καὶ ἀφορμῶν, εὐτυχίᾳ τε
Συμβελόντα ἑμοὶ δὲς πάλῃς ἀιδίου.

*CONSILIUM sapiens: OCCASIO commoda: felix
EXITVS: unius sunt tria dona Dei.*

*IN MORBIS ET CALAMI-
tatis consolatio & precatio, exem-
plo Lazari. Luca 16.*



*A*GER & ulceribus squalens in corpore toto,
Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.

C 3

Diui-

- „ Dinitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
 „ Cui fastidito nemo ferebat opem.
 „ Ut tamen à cunctis spretus, tua cura, tuoq;
 „ Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
 „ Sic aeternè Deus, tua me clementia seruet,
 „ Et miserum dextra protegat umbra tua.

ALIA PRECATIO.
 IN PROFECTIONIBVS ET
 negocijs difficilibus: exemplo Iacobi.

Genesis 32.



Cū redit Assyrijs Isaci gnatus ab oris,
 Vxores secum filiolosq; trahens:
 Nec tantum ignotas gentes, & barbara corda,
 Verum etiam socerum, fratris & arma timet:

Hunc

*Hunc Abz. gnate Dei, tua dextera texit, opemq.
 Luctanti, vt claudus vinceret ipse, tulit:
 Sic iter ingressos nos ad certamina seua,
 Plena futura odij, plena futura doli,
 Protege gnate Dei nos, consilioq. gubernas:
 Hostilis rabies ne nocuisse queat.*

PRO COTIDIANIS DEI IN
nos beneficijs, gratiarum actio.

Ex confessione Iacobi, Gen. 32. Minor sum
 Domine cunctis miserationibus tuis & veri-
 tate tua, quam expleuisti seruo tuo: in bacu-
 lo meo transui Iordanem istum, & nunc cum
 duabus turmis regredior.



*Svm minor, indignusq. tuis, Pater optime, tantis
 Muneribus, prabet qua tua dextra mihi.*

Qui

- » Qui veniam toties lapsi mitissime prestas,
 » Insuper & cumulas me bonitate tua.
 » Fac horum semper memor ut tibi grata rependam
 » Obsequia, & prosint hæc tua dona alijs.

PAVL. EBERVS.

PRO GVBERNATIONE

totius vitæ, precatio.

- A**lme Deus, misere defensor maxime vitæ,
 Qui nutu fulcis nostraq; nosq; tuo:
 Quoscung; imponis, da nos perferre labores,
 Donec in hoc mundi viuimus exilio:
 Et quacung; grauant pressos, auerte pericla,
 Sanctaq; sollicito pectora solue metu.
 » Non humana regit fragilem sapientia vitam:
 » Nempe sumus Domini quidquid, amore, sumus.
 Da surgant clari post nubila tristia soles,
 Tuta sit auxilio vita caduca tuo.
 In primis fac nos à sædo crimine puros,
 Viuerēq; in cordis simplicitate pij.
 Lapsos ore tuo nos instrue, dirige verbo;
 Ne ruat in vetitum nescia vita scelus.
 Admoniti, simus faciles agnoscere culpam,
 Et sceleri versaponere mente modum.

GEORG. FABR.

PRECATIO ANTE

CIBVM.

- H**is epulis donisq; tuis benedicito Christe,
 Vi foucant ussu corpora fessa tuo.

Non



*Non alit in fragili panis modò corpore vitam:
Sermo tuus vita tempora longa facit.*

ALIA.

*Quæ nunc sumemus membris alimenta caducis,
Hæc Deus imperio sint benedicta tuo.*

HERM. BVSCHIVS.

GRATIARVM ACTIO à sumto cibo.

*Postquam epulis exempta fames, mensæq; remota,
Dicemus grates nos tibi summe pater.*

*Non hæc humanas vires alimenta iuuabunt,
Diuina si non hæc foueantur ope.*

*Namq; tuo viuunt agitata à Numine cuncta,
Adflatu spirant cuncta valentq; tuo.*

*Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atq; immortalis pectora pascit cibo.*

D

Et



*Et quia cura sumus tua nos, Pater optime, serua,
Et studia & vitæ tempora cuncta rege.
Cumq; epulas dederis, rerum pater optime, nobis;
Adde epulis vires pro bonitate tua.*

ALIA.

*Quod sumus utilibus dapibus, potuq; refecti,
Laus tibi pro donis sit, Deus alme, tuis.*

HERM. BVSCHIVS.

ALIA.

*Qui largo corpus potuq; ciboq; refecit,
Pascat & aeterno corpora nostra cibo.*

IOH. GIGAS.

DE VENIS METALLI- cis, gratiarum actio.

*Sulphur & ἀργύρεον , seu argentum viuum,
prima semina metallorum.*

Quia

Quin etiam grates pro tanto hoc munere dico,
 Quod certum est artis tantum opus esse tua.
 Intima quod venas sparsisti in viscera terra,
 Vt nobis apta metalla ferant.
 Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquantur.
 Sulphureis fibra semina prima noua.
 Dantq; alias formas caelestia lumina massis,
 Et vagus in terris hoc iuuat ignis, opus.
 Sed satis effari queat haec miracula nemo:
 Hoc certum est, nasci cuncta fouente Deo.
 Vis etiam nostro quari haec tua dona labore,
 Legitimos usus & tua dicta docent.

cc

cc

cc

cc

PRECES PRO SVCCESV ET
 fructu studiorum.

Mellifica vt nos simus apes, fac optime Christe,
 Alueolos verè & nos facito esse tuos.

cc

cc

PRECES INGREDIENTIS
 templum.

Christe meo letum Paradisum in pectore planta,
 Sic modo tristis ager, mox Paradisus ero.

cc

cc

IOH. STIG.

O Abba, templa Dei fac vt viuientia simus,
 Aeterna vite leticiamq; dato.
 Da soboli nostra pacem, moresq; gubernata,
 Et sint qui veritate pietate, colant.

cc

cc

PRECES PVERI EX LVD^o
 reuertentis.

Quàm multa audiui menti seruanda tenella,
 De moribus, de literis?

D 2

Quamq;

*Quamq̃, meos cupide vidi aduertisse sodales,
 Monit docentis omnia.
 At tu cunctorum largitor Christe bonorum,
 Sensus iacentes excita:
 Vt bona percipiant, & sicut cera, sequantur
 Fingentis artificis manum.
 Fac nihil à studijs unquam diuellat honestis,
 Non frigus, æstus, non fames.
 Quantulacumq̃, p̃j perdurem portio cætus,
 Tuæq̃, membrum Ecclesie.*

GEORG. FABR.

*PRECES VESPERTINÆ
 cubitum euntis.*



*P*ro nobis vigiles te, maxime Christe rogamus,
 Sopitos sensus dum tenet alta quies.

Sit

*Sit tuus ad dextram bonus angelus, atq. sinistram,
 Cælesti miseros qui tueantur ope.
 Tristiater. isca qui pellat somnia noctis,
 Et quicquid trepido corda timore mouet.
 Vt cum depulerit tenebras aurora, diurnum
 Auspicij latis aggrediamur opus.*

GEOR. FAB.

Εὐλογία ἰσραηλ.

PRECATIO EX BENE-
 dictione. Num. 6.

- I. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te.
- II. Ostendat Dominus faciem suam tibi, &
- III. misereatur tui. Conuertat Dominus
 vultum suum ad te, & det tibi pacem.



O Prime Christe tua queso benedicito turba,
 Ac inter vita sana pericla tege.

D 3

I.

“

Te da-

- Te dabis ut cernat verè esse patremq; Deumq;
 Certa venit nobis, si miserere, salus.
 Placatumq; animum, vultusq; ostende paternos,
 Prosperaq; eueniant cuncta fauore tuo.

PRECATIO DOMINICA,
 iambico dimetro expressa

A

IOHANNE STIGELIO.

Ex Mart. Lutheri Germanica
 paraphrasi.



DEVS sator mortalium,
 Terræ potens & siderum,
 Qui mitis in nos asperos,
 Grauisq; culpe conscios,

Gaudes

Gaudes patris vocabulo,

Nutug, seruas omnia.

Fac innotescat omnibus,

Nomen tuum mortalibus,

Verbi tui suauissima

Sic instruat nos gratia,

Vt te colamus vnicum,

Sicut iubes per Filium.

Accende mentes lumine,

Tuiq, regni imagine,

Vt incoent hic aurea

Vita perennis secula,

Regno tuo nocentium

Infringe vires hostium.

Fac nostra semper vt tuis

Mens acquiescat legibus,

Consentiat cum cœlica

Terrena pax concordia,

Iussum ministret mens opus,

Cura tibi sit exitus.

Dum congregatim viuimus,

Largire nobis quesumus,

Externa vita commoda,

Quibus vigent commercia:

Agnoscat ista caritas,

Agatq, vere gratias.

Ignosce noxam fontibus

Culpaq, vim dolentibus,

Delicta si nos hostibus

Non asperè remittimus,

Da pe-

Da pœnitere mens queat,
Vt te iuuantem sentiat.

Nunquam sinas nos obrui
Draconis astu perditum,
Captos sed hostis artibus,
Tuis tuere viribus,
Fac militemus strenuè,
Et compotes victoriæ.

Nos adferas ab omnibus
Calamitatum casibus,
Ducemq; mentem corporis
Ex mole duri carceris,
Cum postulabunt tempora
Hinc transferas ad sidera.

AMEN.

GRATIARVM ACTIO pro ministerio Angelorum.

Sapphicon.

Dicimus grates tibi summe rerum
Conditor, Gnato tua quod ministros
Flammeos finxit manus, angelorum
Agmina pura.

Qui tue lucis radijs vibrantes
Te vident latis oculis, tuasq;
Hauriunt voces, sapientiæq;
Fontes fruuntur.

Hos nec ignauum finis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra

Æthe-



*Aetheris tractus, temerè nec inter
Ludere ventos.*

*Sed iubes Christo comites adesse,
Et pios cœtus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atq;
Discere curant.*

*Impiys ardens odiys & ira
Nam tuis castris Draco semper insert
Bella, qui primus scelus atq; mortem
Intulit orbi.*

*Hic domos, vrbes, tua templa, gentes,
Et tua legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.*

*Interim sed nos tegit Angelorum,
Quem ducem Christum sequitur, caterua.
Atq; grassantis reprimat cruenta
Arma Draconis.*

E

Angeli

*Angeli LOTHON Sodoma tuentur,
Inter infestos ELISAEVS hostes
Angelis cinctus, nihil extimescit
Bellica signa.*

*Tutus est inter medios Leones
Angelis septus DANIEL Propheta:
Sic tegit semper Deus his ministris
Omnia nostra.*

*Hoc tuum munus celebramus una,
Et tibi noster chorus, Angelig,
Gratias dicunt simul accinentes
Conditor alme.*

*Et tuo templo vigiles ut addas
Angelos semper, populog, Gnati
Qui tuum verbum colit, obsecramus
Pectore toto.*

ALIA.

DE S. IOHANNE BAPTISTA, primo doctore novi testamenti.

A Eterno gratias Patri
Omnes canant Ecclesiae:
Quod nuncium verbi sui
Iohannem nobis miserit.
Hic mores exui malos:
Iussit, metuq, Iudicis
Mox adfuturi terruit
Superbas mentes omnium.

Rur.



Rursusq̃, perculos metū
In spem vitæ certam vocat,
Et monstrat agnum digito,
Qui placat unicus Deum.

Hac ille firmo pectore
Docet, Christumq̃, pradicat
Venire, ceu solem novum
Prodire aurora nunciat.

Nec Pharisei spiritum
Fregerunt ingentem viri,
HELIAS alter hic fuit,
Hypocritas dum arguit.

Te summe rogamus pater,
Vt corda nostra suscites,
Vt verè possint credere
Iohannis testimonio.

E 2

ALIA

DE CONGRESSV *MARIÆ*
matris Domini et Eliſabethæ: prima
Synodo noui teſtamenti.

A *Eterne gratias tibi*
Dicamus omnes conditor,
Quòd inter hoſtes plurimos
Eccleſiam ſeruas tamen.

Vt inter arma gentium,
Herodis & ſatellites,
Interq̃ tetros dogmatum
Furores, & deliria:

Seruas Mariam virginem,
Domumq̃ caſta Eliſabeth,
Quæ prædicant munus tuum.
Datumq̃ Chriſtum nunciant:
Non Pontifex, non Principes,
Eſſi ſciunt oracula
Fatum, veniſſe nouerant.
Salutis autorem nouæ.

Sed dulcis hæc Eliſabeth
Et virginis congreſſio
Arcana promit cæteris
Verè Deum colentibus.

Aluoq̃, fætus conditus
Longo ſacerdotum agmini
Agnofcit ignotum ducem,
Adorat & geſtu ſuo.

Hæc

*Hac prima synodus fuit,
Testata de Christo Duce,
Postquam statuto tempore
Verbum Patris factum est Caro.*

*Accensa testimonijs
In corde nostro talibus
Colat fides, & inuocet
Christum Maria filium.*

*Opemq; spe firma petat,
Missumq; credat à Patre,
Vt inuocantes adiuuet,
Malisq; cunctis liberet.*

Amen.

*QVERELA ANIMARVM PIA-
rum ad Deum, de Tyrannis qui interficiunt
pios propter Euangelij professionem.*



E 3

O Pa.

O Pater alme Deus, terræq; poliꝫ creator,
 Ista manum cuius machina vasta tremit.
 Omnia qui cernis, veriꝫ es amator & equi,
 Fallere quem non est vllius arte doli:
 Vnicus innocuis, si iustus es arbiter, vmbri,
 Solus & infontis sanguinis vltor ades:
 Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
 Voce fatigauit sidera clarapoli,
 Ecquid adhuc iustam lentus non surgis in iram?
 Et potes hæc contra te fera tela pati?
 Ecce rebellantes audacter vt omne Tyranni
 Iusꝫ, tuo Christo fasꝫ, piũꝫ, negant.
 Respicias infontes animas, tristẽꝫ, cruorem;
 Illis pro verbo quem damus ecce tuo?
 Respicias, & patulis gemitus hos auribus hauris,
 Quos tibi semineces reddimus ore pio?
 " Vig, truces raro tristi sine cade Tyranni,
 " Et sicca ad Stygias morte feruntur aquas:
 " Sic quoꝫ, nunc meritas pendent cum sanguine pœnæ,
 " Quos inuat iniusta tingere cade manus.

CHRI-



CHRISTO TRIVM- PHATORI.



Ergo tuus meus est, meus est hic Christe triumphus,
 Perpetuò quoniam te iuvat esse meum,
 Denictò refero tecum spolia ampla Dracone:
 Iusta tibi pulsa morte trophæa loco.
 Cotidiè attrita fac tecum morte resurgam,
 Ex humeris pendens sarcina grata tuis.
 IOH. STIG.

Bonum est nos hic esse.

DE GUSTU VITÆ ET GLO-
riæ celestis, quam Filius Dei in transfor-
matione sua præbuit Discipulis,
 Matth. 17.

Parvius

*Paruus hic æternæ vitæ & celestis honoris
 Gustulus, attonitos angusto in pectore sensus
 Quàm subito absorpsit? quid cùm se in luce videndam
 Lucis inaccessæ Maiestas offeret? ô quàm
 Christe manere bonum fuerit tecum, in te, & apud te:
 Quando ipse electis vis omnia in omnibus esse.*

P. H.

Desiderium Vitæ æternæ.

*Absumus à te,
 Vivimus ex te,
 Fidimus in te,
 Tendimus ad te
 (Non nisi per te)
 Optime CHRISTE.*

P. H.

HI

